



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Titulus XIII. De Rebus Ecclesiae Alienandis, Vel Non.


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

beneficij, v.g. parochialibus, loco primo  
fructuum, seu annatæ nomine, quidpi-  
ana dematur ad Episcopales, proventus au-  
gendos, dixi lib. 4. tract. ult. n. 45.

TITULUS XIII.

DE REBUS ECCLESIE ALIENANDIS, VEL  
NON.

 Um in præcedentibus titulis  
frequentè mentio facta sit  
alienationis Ecclesiasticæ,  
num ea fieri possit à Præla-  
to cum Capituli, aut sine  
Capituli consensu, & num  
à Capitulo, vacante Sede, idè ad plenio-  
rem consequendam doctrinam universim  
subijerit titulus iste.

CAPITULUM I.

Non licet.

PARAPHRASIS.

Non est concessum Episcopo, vel Abbati, qui  
duas Ecclesias subditas sibi habet, ter-  
ram, v.g. agellum, unius Ecclesiæ au-  
ferre, & dare alteri; permutationes ta-  
men honorum cum utriusque partis con-  
sensu instituire non prohibetur.

SUMMARIUM.

1. Abbas, seu Prælatus tam regularis  
quam secularis, si quasi episcopalem  
jurisdictionem in Ecclesiis aliquas  
habeat, potest in alienationibus re-  
rum talis Ecclesiæ auctoritatem inter-  
ponere.
2. Liberam tamen facultatem Episcopus  
non habet, res, & jura unius Eccle-  
siæ in aliam transferre pro suo placito.
3. Potest tamen duobus modis à Præla-  
to in alienatione rei Ecclesiasticæ aucto-  
ritas præstari.
4. Quod sit discrimen inter hos duos mo-  
dos?

1. Cujus Superioris auctoritatem Præla-  
tus regularis requirere debeat?

Notandum primò. Si Abbas seu Præ-  
latus regularis, aut secularis erga Ec-  
clesias quasdam veluti Episcopalem jurisdi-  
ctionem obtineat, auctoritatem interpone-  
re potest in alienationibus, & permutatio-  
nibus rerum Ecclesiasticarum, nam aucto-  
ritatem interponere in alienationibus ejus-  
modi, pertinet ad jus Episcopale. c. Abbatibus  
41. causa 12. q. 2. c. in venditionibus 40.  
causa 17. q. 4. & annotavit Abbas hic  
n. 3.

Notandum secundò. Episcopus non ha-  
bet liberam facultatem res, & jura unius  
Ecclesiæ transferendi ad aliam Ecclesiam. Ita  
hic & in c. Ecclesia 43. causa 16. q. 1. Ubi ta-  
men Gl. admonet, & Gl. super hoc c. v. ad aliam  
communiter recepta: quòd Episcopus id  
possit ex justa causa, videl. si una Ecclesia  
abundet, & altera indigeat argum. c. 3. de  
Ecclesijs adificandis. Dummodo tracta-  
tus cum Rectore, vel defensore Ecclesiæ, &  
Capituli consensus interveniat argum. c.  
tua & de his, que sunt à Prælati & c. Neque  
enim hæc reputari debet injuria, si dicta ne-  
cessitas translationem postulet, quia Ecclesiæ  
particulares sunt membra unius Ecclesiæ  
universalis, & idè sibi mutuo subvenire  
debent, sicuti monet Abb. hic n. 4. Antè  
omnia tamen ex cujusque Ecclesiæ rediti-  
bus providenda sunt necessaria Rectori, &  
ministris ejus, & Ecclesiæ fabricæ c. penult.  
tit. tit. Eleemosynæ quoque pauperibus  
loci ejus.

Pro pleniore intellectu eorum, quæ hic  
& in toto tit. dicuntur, adverte ex Mo-



*lina tra. 2. disp. 468. & aliorum commun.*  
quod Prælatus duobus modis alienationi  
rei Ecclesiasticae robur, & auctoritatem  
præstare possit. Primò, ut ipse sit auctor  
principalis alienationis, si v. g. Episcopus  
cum consensu Capituli Cathedralis rem ali-  
quam alienet de mensa sua, vel si inferior-  
ris vacantis Ecclesiæ rem constituto defen-  
sore cum consensu Capituli, aut Conventus  
eiusdem Ecclesiæ inferioris alienet *juxta*  
*c. 1. eodem tit. in 6.*

Secundò. Ut ipsemet Prælatus non alie-  
net, sed Collegium, aut Rector, vel Præ-  
latus inferioris Ecclesiæ, superior autem  
Prælatus, videlicet Episcopus alienationi  
consensum præbeat, qui dici solet *auctori-  
tas*, nam qui consensus absolutè vocari  
solet in minoribus, seu inferioribus, in su-  
periore vocari solet auctoritas, *secundum*  
*Gl. in cit. c. 1. V. tractus*, & videri potest  
*Molina cit. lo. n. 3.* Discrimina plura sunt  
inter auctoritatem priore modo, & aucto-  
ritatem modo posteriore acceptam. Primò.  
Auctoritas sive consensus rectoris; qui est  
auctor alienationis, necessariò intervenit in  
ipso contractu, quia iste consensus perti-  
net ad substantiam contractus, at verò au-  
toritas ac consensus superioris in postero-  
re casu, postea intervenire potest, sicuti &  
Capituli consensus, prout ex communiore  
tradit *Francus cit. c. 1. n. 12.* Secundò.  
Quòd consensus rectoris, si principalis au-  
ctor sit alienationis, debeat esse expressus;  
at verò si non sit auctor principalis, sed con-  
sentire debeat alijs, & ratificare alienatio-  
nem, videtur sufficere consensus tacitus, qui  
est cum scientia, & patientia; quæ videtur  
esse sententia *Innocentij hic*, & sumitur ex  
regula recepta, si jus non requirat consen-  
sum expressum, sufficere tacitum, quia ex-  
pressi & taciti eadem est vis. Tertiò. Si  
Prælatus superior, v. g. Episcopus, Ecclesiæ  
sibi subditæ bona ita alienet, ut ipse sit  
auctor alienationis, tunc si dicta Ecclesia  
Conventum non habeat, opus est, ut con-  
sensus Capituli Cathedralis accedat, prout  
tradit *Gl. inc. 1. V. tenues. eodem tit. in 6.*

*ibidem Francus n. 24. argum. ejus textus*,  
& sumitur ex *Clement. 2. eodem tit.* ubi  
dicitur, quòd Episcopus Ecclesiam sibi sub-  
ditam unire possit interveniente consensu  
Capituli sui, quasi non posset sine consen-  
su, idque maximè locum habet, si aliena-  
tio, vel unio facienda sit in aliam Diero-  
fin, vel ad exemptos. Sin autem non  
Episcopus, seu Prælatus, Episcopali jurisdic-  
tione præditus sit auctor alienationis, sed  
Parochus v. g. seu rector Ecclesiæ, non ha-  
bentis Conventum, tunc opus non est con-  
sensu Capituli, quia rector Ecclesiæ, &  
Conventum non habeat, idem potest, quod  
alius cum Conventu.

Quæres. Cujus Superioris consensus,  
seu auctoritatem Prælatus regularis requi-  
rere debeat post Conventus sui consensus?  
Respond. & dico primò. Si Prælatus re-  
gularis exemptus non est, Episcopi debet ha-  
bere consensus in alienationibus. Ita ob-  
ligitur ex *suprà cit. c. Abbatibus & c. 1. in*  
*venditionibus.* & docet *Gl. ab omnibus*  
*recepta in summa. causà 12. q. 2.*

Dico secundò. Si Prælatus est exemptus,  
& immediatè subditus Pontifici, qui ad  
confirmationem accipit, tunc ejusdem con-  
sensus, & auctoritatem postulare debet,  
uti notat *Gl. recepta in Clement. 1. V. pri-  
mij. hoc tit.*

Dico tertiò. Si Prælatus exemptus Or-  
dinis sui Generalem habeat, tunc ipse Ge-  
neralis loco Episcopi est, ideòque ejus vel  
Provinciae juxta cuiusque Ordinis statum  
consensus requiritur. Prout ex communi  
docet *Turrecremata super eadem summa.*  
*Suar. tom. 4. de religione lib. 2. c. 27.*

## CAPITULUM II.

## Qui res.

## PARAPHRASIS.

Si aliqui res, & bona Ecclesiæ à Regibus  
accipiant, atque horrendæ cupiditatis  
impulsu, bona egentium rapiant, irrita  
est acceptio; & qui acceperunt, à com-  
mu-



munione Ecclesie, cuius facultates auferre cupiunt, excludantur.

CAPITULUM III.

Consensus.

SUMMARIUM.

PARAPHRASIS.


**L**aicus, quamvis Patronus Ecclesie sit, aut alia dignitate seculari praefulgeat, non potest tamen res Ecclesie conferre, aut donare.

**B**ona Ecclesie censentur esse pauperum.

**N**otandum primum. Laicus quacun- que dignitate fulgeat, res Ecclesiasticas conferre, aut donare non potest, cum administratio, & distributio rerum Ecclesie ad Praelatos Ecclesiasticos spectet. Contentit *c. de rebus 22. causa 12. q. 2. & c. in Canoni- bus 9. causa 16. q. 1.* Si quis oblata Deo acceperit, vel dederit praeter Episcopum, id est, sine licentia Episcopi, anathema sit. Alias penas, & censuras latae sententiae leges in *g. generali 13. de electione in 6. & in Con- cilio Lateranensi sub Leone X. sess. 10. §. & cum fructuum.*

Ampliari debet doctrina, ut etiam lo- cum habeat in patrono, sive eo, qui Eccle- siam dotavit, quia post donationem, seu fundationem factam res Ecclesie sunt, ac divini juris, & sub gubernatione, ac juris- dictione Praelatorum, *juxta c. 6. causa 19. q. 1.* ubi ex concilio Toletano 4. *Can. 32.* refertur: noveint conditores basilicarum in rebus, quas eisdem Ecclesijs conferunt, nullam se potestatem habere, sed juxta Canonum instituta, sicuti Ecclesiam; ita & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere. Et hoc notari debet propter do- minos Laicos, qui ornamenta, quae loco con- secrato, & cum Episcopi auctoritate erecto donarunt, postea si castrum vendant, ea secum auferunt, quasi propria sint.

**N**otandum secundum. Bona Ecclesie censentur esse pauperum, ut *hic & in c. ult. causa 16. q. 1.* Dantur enim ministris ad sustentationem eorum necessariam, ita ut quae supersunt, pauperibus distribui debeant, *juxta cit. c. ult.*



Concilium Toletanum 4. *Can. 68.* defini- vit, ut rectores, qui Ecclesijs suis ali- quid relinquunt, vel eisdem praedia, aut familias acquirunt, possint aliquos ex fa- milia, id est, servorum, & ancillarum nu- mero, secundum modum rerum Eccle- siae adjectarum manumittere, sicuti Ca- nones antiqui decreverunt. Ita tamen, ut manumissi cum peculio, & posterita- te sua sub patrocinio Ecclesie permane- ant, atque impositas sibi obsequiales ope- ras, quatenus ipsis possibile est, prose- quantur.

SUMMARIUM.

1. Manumittere potest servum Ecclesie rector, qui sua industria aliquid ac- quisivit Ecclesie.
2. Tenetur tamen, qui sic manumittitur ad operas officiales eidem Ecclesie praestandas.

**N**otandum primum. Rectori Ecclesie, si quidpiam Ecclesie contulit, aut in- dustria sua acquisivit, remunerationis loco concessum est, ut Ecclesie servum manu- mittere possit. Hinc colligit *Abb. n. 2.* quod Praelatus acquirens bona Ecclesie li- beriùs possit de bonis Ecclesie, etiam do- nando, ex causa justa disponere, quam alius Praelatus, qui res Ecclesie non auxit.

Ampliari debet, quod Praelatus, sive Re- ctor Ecclesie, tamen si nihil ei acquisiverit, possit tamen servos bene meritos manumit- tere, *juxta c. si quos de servis 57. causa 12. q. 2.* Ex quo gradatim colligi potest, quod Praelatus donationes remunerationis mo- deratas, secundum quantitatem meritorum, & utilitatis Ecclesie praestita, facere pos- sit, & promissas exolvere teneatur *argum. c. quicumque 66. eadem q. 2. & L. sed est. 25. §. consult. ff. de petitione hereditatis.*

ubi



ubi dicitur, quod remuneratoria donatio sit veluti species quaedam permutationis.

2 Notandum secundum, Servus, sive mancipium Ecclesie aliter manumitti non debet, nisi ut operas officiales eidem Ecclesie præsteret ipse, tum posteritas ejus. Ita hic & in c. *liberti 61. causa 12. q. 2.* ubi dicitur, si tales manumissi, seu liberti à patrocínio Ecclesie recesserint, & alteri personæ adhæserint, atque admoniti redire contempserint, tanquam ingratos iterum in servitutem esse redigendos; & in c. *longinquitate 64. eadem q. decernitur*, ut liberti Ecclesie professionem faciant, se de familijs Ecclesie esse, & ejus obsequium nunquam derelicturos. Idemque habetur in c. *libertus 65. eadem q. 2.* Itaque discrimen est inter libertum Ecclesie, seu ab Ecclesia manumissum, & alium libertum, quod alterius libertus operas officiales, & fabriles patrono non debeat, nisi is pactus sit, seu exegerit in manumissione; ut colligitur ex L. 3. & sequentibus ff. *de operis libertorum*. Quamvis secus dicendum sit de operis obsequialibus, videlicet assurgendo, honorando, in jus non vocando patrono &c. hæ enim naturaliter debentur secundum Gl. in L. *fabriles. 6. §. opera. ff. eodem.* & sumitur ex L. *ult. C. de bonis libertorum*. At verò Ecclesie libertus operas officiales debet ex Canonis constitutione. Veruntamen talis Ecclesie libertus, sive alius quicumque ad operas adstrictus patrono, ad Ordines promoveri non debet & quicumque 5. dist. 54. Videri possunt, quæ docui lib. 3. tra. 4. c. 12. n. 10. & Summ. rom. 4. de Relig. lib. 2. c. 26. ubi agit de donationibus remuneratorijs, quas Prælati facere possunt.

## CAPITULUM IV.

## Episcopi.

## PARAPHRASIS.

Si Episcopus nihil ex suo contulerit Ecclesie, servum ejus manumittere non de-

bet, quia impium est, si quis nihil contulerit Ecclesie, ut damnum eidem inferat. Quare successor Episcopi manumissum, seu libertum absque ulla contradictione in servitutem revocabit, cum manumissio irrita censetur.

## SUMMARIUM.

Quæ male sunt alienata ex Ecclesie, successor revocare potest, & debet.

Hic Capitulo obstat videtur C. si quis 56. causa 12. q. 2. Respondeo, in illo loco sermonem esse de servis beneficijs, hos enim in compensationem meorum libertate donari æquum est, & id à successore non potest revocari manumissio, cum Ecclesie noxia non censetur, prout etiam in c. præcedente dixi.

Notandum. Quæ à Prælato male alienata sunt, successor revocare potest, nondum taxat ostenso, quod alienatio illegitime facta fuerit. L. *jubemus 14. C. de SS. Ecclesijs.* & videtur nulla exceptio opponi posse, ne ea quidem, quæ est defectus dominij, quippe cujus probatio sæpe difficilis est c. *sape 18. de restitutione spiritualium*. Et ita Ecclesia sæpe lædi potest, nisi statim restitueretur in possessionem, quam theoriam ponit hic Abbas. n. 2. argum. *capit. textus V. absque aliqua opposicione* & confirmari debet ex regula recepta, quod ex facto Prælati Ecclesie damnum restitui non debet.

## CAPITULUM V.

## Nulli.

## PARAPHRASIS.

Nemini licet rem immobilem Ecclesie alienare, sive agrum, sive servum rusticum, sed nec specialis hypothecæ titulo obligare, nomine autem alienationis comprehenditur conditio (videlicet testamenti; alij legunt, conductio scilicet ad tempus longum) donatio, venditio, per-



permutatio, & contractus emphyteuticus perpetuus. Quare Sacerdotes omnes ab ejusmodi alienatione abstinere debent, alioquin pœnam timere possunt, quam Leonis Imperatoris constitutio minatur, videlicet depositionem ab officio *L. jubemus 14. §. œconomus. C. de SS. Ecclesijs;* & refertur in *Auth. de non alienandis rebus Ecclesiasticis collatione 2. c. 5. §. quia verò Leonis.*

SUMMARIUM.

- 1. Res immobiles Ecclesiæ alienari non debent, nisi casus necessitatis, pietatis, aut incommoditatis urgeat.
- 2. Quod idem dicitur de rebus Ecclesiæ mobilibus pretiosis, quæ servando servari possunt, & de annuis redditibus.
- 3. Ita ut nec possunt speciali hypotheca subijci.
- 4. Quid nomine alienationis prohibita in materia favorabili intelligatur.
- 5. Quid nomine Ecclesiæ in hac materia veniat.

Notandum primum. Res Ecclesiæ immobiles alienari non debent. Excipitur autem casus necessitatis, cujusmodi est, si debita Ecclesiæ aliter solvi non possint *c. hoc jus. causâ 10. q. 2. Gl. in summa ejusdem q.* Imò hæc fermè unica causa censetur, ob quam fundus pupilli, judicis interveniente decreto alienari possit *L. magis puto 5. §. non statim ff. de rebus eorum, qui sub tutela &c. L. ob as 12. cod. de prædij minorum.* Item causa pietatis, videlicet redemptionis captivorum, aut pauperum alimonie *C. aurum 70. eadem q. 2.* Cujusmodi haud dubiè est etiam necessitas alienandi vasa sacra, & suppellectilem sacram, ut Ecclesiæ, & animæ Christianorum ab hostibus fidei defendantur. Item causa incommoditatis, majorisque utilitatis comparandæ *c. sine exceptione 52. causâ 12. q. 2.* Vide, quæ dixi in *c. 1. litemis. 8. de his, quæ fiunt à Prælato. &c.*

Porro rebus immobilibus alienari prohibitis æquiparantur mobiles pretiosæ, si servando servari possint, ut vasa argentea, aurea, gemmæ, vestes pretiosæ, si asservari possint *L. lex quæ 22. C. de administratione tutorum.* Annumerari quoque, & inter immobilia bona censei debent annui redditus, v. g. ex pecunia in societatem locata *argum. c. 2. junctâ Gl. V. jura hœdit. in 6.* alioquin verò pecunia non ad servandum comparata est, sed ad expendendum, aut elocandum *c. ejiciens. diff. 88.* ubi dicitur, quòd pecunia non ad alium usum apposita sit, nisi ad emendum. Quare hæc facultas Prælati atque tutori libera permisa, imò etiam mandata est *cir. L. lex.* Denique annumerari debent ea, ex quibus utilitas, aut fructus diuturnus capi potest, cujusmodi est ovium grex, aut jumenta fundo colendo ex longo tempore affixa, nisi superflua esse appareat *L. ult. cod. quando decreto opus non est. Auth. de non alienandis §. nos igitur.* Videri potest *Molina tra. 2. disp. 456. n. 4.*

Notandum secundò. Prælati non potest res Ecclesiæ alienari prohibitas speciali hypotheca subijcere. At verò ad firmandum contractum legitime institutum bona Ecclesiæ obligare potest generatim non adhibita solemnitate aut Capituli consensu *argum. hujus textus. & tradit hic Joanni. And. n. 3. Abbas n. 3. Honorius n. 5.*

Notandum tertio. Nomen alienationis, in hac materia favorabili Ecclesiæ, ubi de prohibita alienatione agitur, accipitur latissimè pro omni dispositione, per quam dominium directum, aut utile transfertur; imò etiam ut hypothecam saltem specialem comprehendat, ut *hic & in L. ult. cod. de rebus alienis non alienandis.* ubi Bartolus ait, si res prohibetur alienari, consequenter etiam pignore obligari, quia per pignus perveniri potest ad alienationem, ut fusiùs dixi *lib. 3. tra. 4. c. 10. n. 2.* Præterea licet per locationem ad tempus non longum, sive infra decennium non censeatur dominium utile transferri, tamen Pau-



lus II. in Extravag. Ambitiose. omnem rei Ecclesiasticae locationem ultra triennium prohibuit; quamvis hanc Extravagantem non receptam esse ubique, supra monui. Et hæc in materia favorabili: alioquin verò alienationis nomen in jure accipitur tantum solet pro ea actione, quæ dominium directum transfertur, uti constat ex L. 1. C. de fundo dotali. & L. alienatum 67. ff. de verborum significatione junctâ. L. 1. Cod. de jure emphiteutico. ubi negatur, quod emphiteuticus contractus alienatio sit, quia, ut Gl. ibi ait V. alienationis, dominium directum non transfertur. Videtur potest Molina disp. 464. Denique nomine Ecclesiæ in hac favorabili materia comprehenditur omnis locus pius Episcopi auctoritate constitutus. Ita sumitur ex hoc cap. nam Leonina constitutio, quæ ita extensa est, sicuti apparet in Authent. hoc jus. C. de SS. Ecclesijs, & refertur in c. 2. causa 10. q. 2. in ista materia approbatur, ac veluti canonizatur, ut ait Abb. hic n. ult. & idem quoad beneficium restitutionis in integrum docui lib. 3. tra. 4. c. 11. n. 3.

## CAPITVLVM VI.

## Si quis.

## PARAPHRASIS.

Si Presbyter, Diaconus, aut Defensor Ecclesiasticum prædium alienandi subscripserit, cum id Deo exosum sit, anathemati subijci debet, nisi forte, qui alienavit, & qui accepit, celeriter restituendo sibi prospexerint; alioquin si id non egerint, præter pœnam jam nominatam, alienationis instrumentum, quod ab initio infirmum est, rescindatur; insuper quibuscunque Ecclesiasticis personis liceat se alienationi opponere, atque rem alienatam cum fructibus Ecclesiasticâ imploratâ auctoritate reposcere.

## SUMMARIUM.

1. *Subscribentes auctoritative alienatio-*

ni rei Ecclesiasticae male facta pœnam incurrunt.

1. *Et alienario, si causa legitima non sit, ipso jure nulla est.*
3. *Repetere autem possunt, & debent rem male alienatam cum fructibus, non tantum illi, qui eam alienaverunt, non obstante juramento de non repetendo.*
4. *Sed in defectum eorum etiam alij præsertim illius Ecclesiæ Clerici.*
5. *Et Ecclesiæ duæ actiones in tali casu competunt; personalis una, contra male alienantem; altera realis, ad rem alienatam sibi restituendam.*

Notandum primum. Qui alienationi rei Ecclesiasticæ male factæ auctoritative subscribunt, criminis, ac pœnæ coactores se reddunt. Consentit L. juberem 14. C. de SS. Ecclesijs, & econonius ubi scriptus, ubi ait Glossa, quod facientes, & consentientes pari pœnâ teneantur.

Notandum secundum. Tametsi solennitas contrahendi servata sit, tamen causa alienandi rem Ecclesiasticam non adsit, ipso jure irrita est alienatio, quod verò dicitur, eam rescindi debere, & pertinet ad factum revocationis, vel ad declarationem nullitatis.

Notandum tertium. Qui male alienavit, & qui auctoritatem, vel consentium dedit, rem Ecclesiasticam unâ cum fructibus repetere possunt, & debent, & quibus non obstante juramento *argum. c. 1. de his que sunt à Prelatis &c.* & tradit Abb. hic n. 7. cum enim ex justitia obligati sint ad retractandum, ideo juramentum non obligat, ne fiat vinculum iniquitatis c. quæto. de jurejurando. Honestius tamen erit, si alius pro jurante repetat, ne alioquin, saltem specie externâ, agere videatur contra juramentum, quæ videtur esse mensura Glossæ in c. 1. V. contractum. de restitutione in integrum in 6.

Notandum 4. In defectum eorum, qui ex officio male alienata repetere debent, videlicet Prælati, Capitulum, & superiores horum,



horum, si nolint ij, aut non possint, qui-  
libet de Clero, seu Ecclesiastica persona, a-  
gere potest ad restitutionem, seu revocatio-  
nem, secundum Innoc. in c. cum olim n. 3.  
de restibus. Versatur enim hîc jus publi-  
cum & jus publicum. dist. 1. ubi Gl. ait,  
quod, qui sacerdotem lædit, vel rem sa-  
cram ab omnibus, tanquam de publico  
crimine, accusari potest: præferendi tamen  
sunt ejusdem Ecclesiæ Clerici Parochianis  
Laicis, atque extraneis.

Potro Ecclesia in casu illegitimæ aliena-  
tionis duas actiones habet, una est persona-  
lis contra alienantem, ut illatum Ecclesiæ  
damnum resarciat, altera est in rem, seu  
realis, nisi malis dicere esse possessorij in-  
terdicti adversus rei alienatæ possessorem,  
procur. hic Gl. notavit V. alienata, & colligi-  
tur ex L. 3. C. si tutor vel curator &c.  
Tamen verò contra alienantem agi non  
possit dictâ personali actione, si Ecclesia  
per restitutionem indemnis reddita sit L. 1.  
§. si plures. ff. de eo, per quem factum fue-  
rit. Cum æquum non sit, Ecclesiam cum  
alterius damno locupletari. Accusatio tamen  
institui potest ad pœnam, sive satisfac-  
tionem pro injuria, sicuti docet Gl. in c.  
monemus 18. V. reddere. causa 12. q. 2. ubi  
ait: vel Ecclesia agit contra ementem v. g.  
ad pœnam, vel ad interesse; si ad pœnam,  
potest adhuc agere contra alienantem, quia  
pœna unius non liberat alterum. Sin ad  
interesse, non potest agere, quia jam suum  
consecrata est, & ideo interesse desijt. U-  
trum verò emptor, seu is, cui alienatio fa-  
cta, pretium repetere possit, declarat hic  
Abb. n. 12. & explicavi lib. 3. tra. 4. c. 10.  
n. 4. in fine.

CAPITVLVM VII.

Ad aures.

PARAPHRASIS.

Prelatus Ecclesiæ sylvas per agricolas era-  
dicari, & terram arabilem fieri curavit.  
Postea quæsiuit, an ea terra iisdem a-

gricolis in emphyteusin pro censu annuo  
jure hæreditario dari possit. Respon-  
dit Alex. III. ipsis, vel filijs eorum eam  
terram posse tali pacto tradi in emphy-  
teusin, nisi alijs cum majore Ecclesiæ u-  
tilitate simili modo tradi possit.

SUMMARIUM.

1. Terra facta arabilis, utilis Ecclesia,  
in emphyteusin dari potest.
2. Eo modo, secundum quem majorem  
inde utilitatem consequi possit Ecclesia.

Notandum primò. Si Ecclesiæ utilis sit  
terra arabilis, colonis tradi potest in  
emphyteusin ad aliquot generationes Auth.  
de non alienandis. S. emphyteusi. Et verò  
plerumque manifesta est utilitas, aut ne-  
cessitas, terras incultas & quæ multo la-  
bore indigent, in emphyteusin tradendi:  
nihilominus, spectato communi jure, adhi-  
bendus esset consensus Capituli, & superio-  
ris, nisi consuetudo aliud obrineat.

Notandum secundò. Ecclesia fundos  
suos eo modo elocare, aut in emphyteusin  
dare debet, secundum quem majorem u-  
tilitatem consequi potest. Ita Gl. hic, &  
sumitur ex cap. sine exceptione 52. causa  
12. q. 2. ubi indicatur, ita semper aliena-  
tionem esse instituendam, ut magis profu-  
tura sit; quare in eodem c. indicatur, &  
bene admonet inter alios Suarez tom. 4. de  
Religione lib. 2. c. 27. n. 3. alienationem  
unius rei minus utilis ita faciendam esse,  
ut loco ejus alia utilis, & commodior com-  
paretur, dummodo id fieri possit.

CAPITVLVM VIII.

Vt super.

PARAPHRASIS.

Ravennatensis Archiepiscopus consuluit  
Cælestinum III. cum antecessor ipsius  
possessiones, & reditus à Rege, & alijs  
locis provenientes perceperit in suos u-  
sus, quoad vixit, neque alij infeudârît,  
num censerî debeant, esse de mensa E-  
piscopali, ita, ut ipse ratione juramenti  
Gg 2 Sedi



Sedi Apostolicæ præstiti, de non alienando, alienationis contractum super talibus celebrare non possit. Respondet Papa, sive intelligantur esse de mensa, sive non esse, consultius fore, ut non alienentur; si tamen possessiones minus utiles Ecclesiæ videantur, eas pro utilioribus, cum fratrum suorum vel majoris partis consensu, alienandi, vel permutandi liberam habet facultatem.

## SUMMARIUM.

1. De mensa Prælati censentur possessiones, quarum ipse redditus percipit.
2. Quando fundus aliquis censetur de mensa Episcopi, vel Prælati.

**N**otandum primò. Possessiones, quarum redditus Prælati percipere solet, censentur esse de mensa ejus, & ideo alienari prohibita. Videri potest *Innoc. hic & Molina disp. 468. n. 20.* ubi explicat, possessiones dici de mensa Ecclesiæ, quæ pertinent ad sustentationem Prælati, Conventualium, ministrorum, pauperum, & uno verbo, qui de Ecclesiæ redditibus vivere debent; sin autem redditus possessionum divisi sint, tunc etiam mensas diversas censeri, ut alia sit Episcopalis, alia capitularis &c. Hinc resolvitur, si ager feudalis, aut emphyteuticus per mortem, vel delictum coloni ad Ecclesiam reversus sit, atque Prælati per annum non concesserit alteri, sed ipsemet coluerit, quod censetur incorporatus mensæ, ita, ut alienari liberè non possit, secundum *Archidiaconum, & Abb. hic. n. 10.* & videri potest *Bart. in L. ult. n. 8. de bonis vacantibus lib. 10.* ubi alias considerationes affert, videlicet si fundus reversus per officiales ad hoc deputatos inscriptus sit inter possessiones de mensa *L. si quando C. eodem tit.* vel si Prælati declararit, quod velit esse de mensa, alioquin verò, si ager, cujus dominium utile alienatum fuerat, ad Ecclesiam revertatur, eademque alienandi causa cum Ecclesiæ utilitate perseveret, non censetur facta

incorporatio, sed ager in eodem statu permanere, ita, ut vigore primæ infeudandi, aut in emphyteusin dandi ordinationis eorum simili modo alteri personæ idoneæ concedi possit, prout hic *Innoc. explicat 2. provenientes. And. n. 5. Abb. n. 11.* ubi dicit, quod hæc non censetur alienatio, sed executio ordinationis antiquæ.

Sin autem donatione, hereditate, legato, aliòve acquirendi titulo res de novo Ecclesiæ acquiratur, statim incorporata esse censetur hoc ipso, quod dominium Ecclesiæ acquisitum sit, prout hic *Innoc. significat, & clarè docet Abb. n. 12.* cum verò Prælati sine Capituli consensu, & alijs solemnitatibus renuntiare possit hereditati, aut legato, tractavi in *tit. c. 10. n. 1.*

Notandum secundò. Tamest Prælati jurarit, se res Ecclesiæ non alienaturum, potest tamen alienare ex causa necessitatis, aut utilitatis, & cum consensu Capituli, nam juramentum circa materiam juris intelligitur secundum terminos juris, & illud restringitur ad illicitam alienationem.

## CAPITULUM IX.

## Ad audientiam.

## PARAPHRASIS.

Intellexerat Cælestinus III. Exoneratis Canonicos quosdam Ecclesiæ Exoneratis prædia in damnum ipsius alijs incommotis Canonicis, in perpetuum locatis agricolis: ideò mandat Episcopo Censensu, si ita esse cognoverit, ut locatarios istas tanquam illegitimas revocet, & aliter non possint revocari prædia, & pensiones pecuniariæ, quas agricolæ solverunt, eisdem restituantur, Canonici locatores ad pecunias solvendas, tantum appellacione, compellat.

## SUMMARIUM.

1. Prædia Ecclesiæ inter Canonicos distributa non possunt in perpetuum locari sine juris solemnitatibus.



Accipiens prædium Ecclesiæ illegitimè alienatum in pœnam pretium amittit, nisi bona fidei emptor fuerit, aut de evictione caverit, quibus in casibus à malè alienante repetere pretium potest.

Notandum primò. In quibus Ecclesijs præbendæ distinctæ sunt, & singulis Canonicis assignata prædia, non possunt Canonici singuli ea in perpetuum locare, sine juris solemnitatibus, & Capituli consensu, ac superioris licentia; nam hæc prædia, quo ad proprietatem non sunt beneficiarj v. g. Canonici, sed sunt Ecclesiæ; usufructus autem tantum pertinet ad beneficiarium. Notum autem est, quòd locatio expirat per mortem usufructuarij, quia resolutio jure dantis, resolvitur jus accipientis. *L. lex. ff. de pignorijs.* Et hæc ratio ostendit, quòd si beneficiarius prædium præbendæ suæ etiam ad paucos tantum annos v. g. sex, locaverit sine auctoritate legitima, ante finitum tempus moriatur, locatio revocetur, prout hic docet *Abb. n. 2.*

Notandum secundò. Qui Ecclesiasticum prædium contra jura seu illegitimè alienatum accepit, in pœnam, pretium, aut pensionem amittere debet, *argum. hujus* & habetur in *L. jubemus 14. §. sane C. de sacrosanctis Ecclesijs.* Si tamen bonæ fidei emptor, aut conductor solvit, repetere potest ab eo, qui secum contraxit, videlicet Beneficiario, aut Prælato. *Argum. L. si fundum 27. C. de evictionibus.* Imò etiam ab Ecclesiâ, quatenus inde locupletior facta est, *i. de deposito.* cum æquitas non permittat aliquem cum alterius detrimento fieri locupletiorum *L. nam hoc. 14. ff. de conditione indebiti,* & tradit *Gl. in cit. §. sane.* Sed et si malâ fide, sive sciens emiserit, aut conduxerit quis Ecclesiasticum prædium, si tamen de evictione pactus est, si bique cavit, pretium, vel pensionem solutam recuperare potest ab alienante v. g. Prælato *cit. L. si fundum,* & sumitur *ex hoc c.* quando generatim dicitur, si pensio soluta

colonis restitui debeat, ad ejus restitutionem compellendum esse alienantem, quia delictum personæ non debet in damnum Ecclesiæ redundare *reg. 76. in 6.*

## CAPITULUM X.

## Possessiones.

## PARAPHRASIS.

Episcopus non debet alienare possessiones ad mensam suam, vel Capituli sui pertinentes: neque Ecclesias, in quibus Monachi ministrare consueverunt, Clericis vel Laicis assignare.

## SUMMARIUM.

*Beneficia regularia non debent conferri Clericis secularibus.*

Notandum primum. Possessiones, quæ mensæ Episcopali, vel Capitulari incorporatæ sunt, alienari non debent *c. ut super 8. hoc tit.*

Notandum secundum. Ecclesiæ & beneficia regularia, seu quæ longissimo tempore à regularibus administrabantur, non debent ab Episcopo Clericis secularibus attribui, multò minus Laicis; consentit *c. cum de beneficio 5. de præbendis in 6.* ubi id docui. Idemque sentiendum est, si regularia beneficia jure devolutionis conferantur *Clement. unica de supplenda negligentia,* &c. ibi: *quæ consueverunt per seculares Clericos gubernari, secularibus Clericis, aliâ verò, quæ Religiosis duntaxat committi sunt solita, vel conferri, Religiosis monasteriorum conferendo;* ex quo regulam colligit *Abb. hic in fine c.* quod non major est potestas in eo, qui successit, quàm in eo, qui neglexit.

## CAPITULUM XI.

## Ad nostram.

## PARAPHRASIS.

Cum monasterium Tusense maximis debitis gravatum esset, Abbas, & Conventus

Gg ; tus



tus villam quandam B. Laico in feudum dedit, tali pacto, ut 80. libras pro monasterio exolveret; idque Laicus implevit, sed postea advertentes Abbas, & Conventus, monasterium læsum esse, supplicarunt Innocentio III. ut feudum revocare liceret, allegando, Laicum primo anno ex proventibus villæ ultra 80. libras percepisse, & pluribus deinde annis fructus lucratum fuisse. Quam ob rem mandat Papa quibusdam, si monasterium enorme tale dispendium ex concessio feudo incurrisse compererit, ut Laicum compellant, dictum feudum monasterio liberum, & quietum, postposita appellatione, dimittere, pecuniâ tamen, quam pro exoneratione debitorum, vel in utilitatem monasterij expendit, ab Abbate, & Conventu receptâ; eò quod fructus percepti sufficere ipsi debeant in laboris compensationem.

## SUMMARIUM.

1. *Potest Ecclesia, si in contrahendo læsam se sentiat, etiam coram Iudice Ecclesiastico contra Laicum, restitutionem in integrum petere.*
2. *In casu restituenda Ecclesia potest emptor v. g. bona fidei, pretium expensum repetere, nisi ex fructibus tantum percepisset, quantum expendit.*

**N**otandum primum. Si Ecclesia in contrahendo, vel alienando læsa, petere velit in integrum restitutionem, coram Iudice Ecclesiastico, causam etiam agere potest contra Laicum, dummodo non sint bona feudalia pertinentia ad dominum Laicum juxta c. si Clericus, & sequent. de foro competenti. Et ita intelligit Innocentius hic & Abb. licet Hostiensis, & Andreas arbitrentur, alienationem fuisse irritam, quia consensus Episcopi adhibitus non fuit, & ideo jure actionis ordinariæ per viam nullitatis alienationem revocaram fuisse, juxta ea, quæ docui lib. 3. tra. 4. c. 11. n. 1. Sed textus Capituli ipsi repugnare videtur;

cùm Pontifex se non fundet super nullitate contractus, sed super læsione enormi, de qua etiam, num ea intervenerit, cognoscit mandat.

Neque obstat, quod Hostiensis testatur, plus, quàm quadriennij spatio fundum potuisse Laicum, & ideo restitutioni in integrum locum non fuisse c. 1. de restitutione in integrum in 6. quia, ut ibidem docetur, læsione valde enormi, etiam post quadriennium Ecclesiæ succurri potest, præterquam si Prælati, qui alienavit, mortuus fuit.

Dicer aliquis. Si in alienatione rei Ecclesiasticæ Ecclesia damno affecta est, non hæc ea Ecclesiæ utilis: igitur irrita censeri debet alienatio ob defectum causæ, ut locus non sit restitutioni in integrum. Respondetur contra Gl. hic V. enorme. Molina tra. 2. disp. 44. n. 15. si præcedente tractatu, seu cognitione causæ subsequatur consensus eorum, qui consentire debent, tamen error in ea contingat, alienationem merito jure subsistere, licet per in integrum restitutionem subornari possit.

Notandum secundum. Justa causa, etiam immobilem Ecclesiæ alienandi, esse censetur, si magna debitorum onera adsint, quibus Ecclesia aliâ ratione se exolvere non possit. Ita sumitur ex hoc c. & tradit Abbas n. 3. & dixi supra.

Notandum tertium. Si restitutio in integrum fiat, is, qui pro alienante, sive utilitatem ejus, quidpiam expendit, v. g. emptor pretium solvendo, item, si in rem sibi traditam laborem, & industriam collocavit, repetere ea potest, nisi ex perceptis fructibus compensatio eidem facta sit. Ita sumitur ex hoc c. & L. quid si 24. §. restitutio ff. de minoribus, ubi dicitur, quod restitutio ita faciendâ sit, ut unusquisque integrum suum recipiat, hoc enim nomen restitutionis in integrum statum significat, ut neutra pars sit in damno, aut lucro, ait Gl. hic v. sufficere; idemque dicendum videtur, si alienatio rei Ecclesiasticæ revocetur propter nullitatem; nam si bonâ fide, sive ex probabili ignorantia omittitur solemnitate emptor



ut rem accepit, recuperare debet pretium, & meliorationem, atque fructus interim perceptos lucrari, quia si aliter diceremus, ipse in damno esset, & Ecclesia in lucro, & ideo Ecclesia ipsum decipere voluisse videtur, prout colligitur ex *o. vulturana* 25. *in causa Gl. causa* 12. q. 2. & docet *Anchoranus consilio* 12. 2. & videri potest *Abb. hic* Sin autem mala fide acceperit, in poenam privati poterit a iudice juxta *l. jubemus* & tradit *Gl. in cir. o. vulturana*.

CAPITULUM XII.

Cum Laicis.

PARAPHRASIS.

Quia Laicis, etiam pijs & religiosis, de rebus Ecclesiasticis nulla disponendi potestas concessa est, quippe quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, ideo dolendum est, quod quidam Laicorum, refrigescente caritate, immunitatem Ecclesiasticam, quam SS. Patres & saeculares Principes multis privilegijs munierunt, constitutionibus suis, seu potius destitutionibus impugnare illicite praesumant, dum alienationes feudorum, & altarum Ecclesiasticarum possessionum facere, jurisdictiones exercere, mortuaria, & alia juri spirituali annexa sibi vindicare audent. Quare in Concilio Lateran. sub Innoc. III. ad consulendum Ecclesiarum indemnitatibus, & tanta amovenda gravamina, decernitur, ut ejusmodi constitutiones, ac venditiones Ecclesiasticorum bonorum, ac feudorum, sine legitimo Ecclesiasticarum personarum assensu, praetextu potestatis Laicae factae (cum talis non constitutio, sed destitutio, ac destructio, atque jurisdictionis usurpatio sit) nullius roboris sint, & praesumptores tales Ecclesiasticam censuram coarceantur.

SUMMARIUM.

1. Violatio immunitatis Ecclesiasticae à

Laicis ex defectu charitatis, & pietatis provenit.

2. Statuta Laicorum de rebus Ecclesiasticis, vel quae his annexa sunt, nulla sunt.

Notandum primum. Immunitas Ecclesiasticae libertatis tum quoad personas, tum quoad bona Ecclesiarum non tantum ex Patrum traditione habetur, sed etiam ex Principum consensu, & datis privilegijs. De hac re egi in *lib. 4. tra. 9. c. 8.*

Notandum secundum. Violatio Immunitatis Ecclesiasticae, quae fit à Laicis ex defectu charitatis, ac pietatis erga Deum proficitur, quod ex contrario colligitur: nam qui charitate & pietate erga Deum accensu sunt, ij Ecclesias donis, ac privilegijs augent, ideo qui charitate, ac pietate destituti sunt, ejusdem Ecclesiae Immunitatem imminuere satagunt.

Notandum tertium. Potestates Laicae de rebus Ecclesiasticis statuere nihil possunt, cum ex sint extra terminos jurisdictionis suae, ac proinde talia statuta ipso jure irrita censentur. Idque non tantum intelligi debet, si decernant de ijs rebus, quae intrinsece, ac per se spirituales sunt, sed etiam si de ijs, quae secundum se quidem temporalia sunt, ut pecuniarij proventus, oblationes funebres &c. attamen annexa, si ve cohaerentia spiritualibus, qua ratione oblationes funebres annexae sunt ministerio spirituali, & proventus annui Ecclesiarum, ac monasteriorum annexi sunt spiritualibus titulis beneficiorum tum saecularium, tum regularium.

Quaerit hic *Abb. n. 6.* num valeant statuta Laicorum ordinaria de pompa funebri, ne in ea excedatur? & bene respondet, si materia, circa quam ordinatur, non conferat ad pietatem, aut animae salutem, sed potissimum ad pompam publicam, valere statutum, ut si ordinetur circa vestes lugubres, ne nimius sumptus fiat *argum. 9. anima* 22. & c. *quam preposterum* 25. *causa* 13. q. 2. Sin autem materia, circa quam ordinatur, conferat ad pietatem, & animae salu-



salutem, adeoque ea sit spiritualis, vel spiritualibus per se annexa, v.g. circa officia, cantum, cereos benedictos, oblationes, & similia, de horum moderatione statuere ad Ecclesiasticas, non civiles potestates spectat.

Notandum quartò, Violatores Ecclesiasticæ potestatis olim erant excommunicandi, sed posteriore jure ipso facto excommunicati sunt. *c. noverit 49. & c. gravem 53. de sententia excommunicationis*, & in bulla Cœnæ Domini, prout videre est in *cit. tra. 2. c. 2.*

## CAPITULUM I.

in sexto.

## Dudum.

## PARAPHRASIS.

Vacante aliqua Ecclesiâ parochiali Episcopus Dulmenis cum consensu Capituli sui, decimas ejus parochiæ transtulit ad Ecclesiâ suâ Archidiaconatum, quia tenues redditus habebat, ut Archidiaconus se commodius sustentare posset. Parochus postea investitus super ijs decimis actionem movit Archidiacono, petens eas sibi restitui: Archidiaconus excepit, ab Episcopo cum Capituli consensu donatas esse sibi decimas, tanquam Archidiacono propter reddituum tenuitatem, ejusque donationis, seu translationis instrumentum pro se. Intellectâ hac controversiâ referit Innoc. III. cum Ecclesiâ parochialis, dum vacaret, legitimo caruerit defensore, quem Episcopus deputare debuisset, antequam translationem faceret, & quia tractatus diligens, ac solemnus, qualis in ejusmodi perpetuis Ecclesiasticarum rerum concessionibus, & alienationibus præcedere debet, habitus non fuit, ideo eam ordinationem, & concessionem ex consilio Fratrum suorum se irritam declarare, atque decimas ad Parochiam pertinentes eidem sententialiter adjudicare, præsertim cum dictæ concessionis, aut translationis nul-

la evidens necessitas, vel utilitas appareat.

## SUMMARIUM.

1. Episcopus, si velit, ut auctor principalis, res Ecclesiæ alicujus inferiori alienare, aut transferre, debet habere sui Capituli consensum.
2. Et in tali casu, si inferior Ecclesiæ Capitulum, aut rectorem non habeat, dandus ei est curator, aut defensor.
3. Neque tamen potest ea fieri in rebus, v.g. ante acceptam possessionem.
4. Neque sufficit verbis tantum assertum in genere, causam alienationis in instrumento exprimi.
5. Quamvis nonnunquam pro justitiam possit esse præsumptio.
6. Utrum, & quomodo tutus sit in conscientia ad rem Ecclesiæ in se alienatam, retinendam, quamdiu non repetitur, quando in alienatione libertates juris non intervenerunt.

Notandum primum. Si Episcopus res Ecclesiæ inferioris alienare, aut transferre velit, ita, ut ipse sit principalis rector alienationis, debet habere Capituli sui consensum. Ita sumitur ex hoc c. & tractat *Abb. in c. 1. n. 5. de his que sunt à Prelatis &c.*

Dico autem, si sit auctor &c. secus est, si Ecclesiæ inferioris rector, vel prepositus alienet cognitâ causâ necessitatis, aut utilitatis cum Episcopi auctoritate; in hoc casu non requiritur consensus Capituli Cathedralis, sed Capituli inferioris Ecclesiæ, si collegiata est, si tamen non sit collegiata, sufficit auctoritas Rectoris, & Episcopi, atque idem sentiendum, si Ecclesiâ inferior vacet, eique constitutus sit defensor, & ob cognitam necessitatem alienationem constituet, cum auctoritate Episcopi, & consensu Collegij, si sit collegiata Ecclesiâ. Videri potest *Imolain cit. c. 1.*

Notandum secundum. Si res Ecclesiæ vacantis alienanda esse videatur, vel alibi



transferenda, dandus est illi curator, seu defensor, cum quo tractari debet, ac discutitur, cum causa sufficiens alienandi subfit. Ita hic, & explicat *Abb. in c. 1. n. 7. ne Sede vacante* &c. ubi ait, si vacante Ecclesia Cathedrali bona alienari debent propter necessitatem, id sine auctoritate Papae, aut curatoris ab ipso ad hoc specialiter dati fieri non posse. Requiritur autem major causa, seu necessitas, ut Ecclesia vacantis, ac viduata res alienari, aut distrahi possint juxta titulum, *ne Sede vacante aliquid novetur* & testatur *Gl. in c. 1. v. Sede eodem tit.*

3. His addit *Francus hic n. 2. ex Innoc. & Joann. Andrea*, non valere alienationem rei Ecclesiasticam, quam Rector facit, vel consensus suo ratificat, ante acceptam possessionem: nam Ecclesia adhuc aestimatur tanquam vacans, atque alienationes facere, vel in eas consentire est actus administrationis, qui possessionem acquisitam requirit.

Notandum tertio. Episcopus non prohibetur rem unius Ecclesie transferre ad aliam Ecclesiam, si justa causa, aut necessitas id suadeat, & solemnitates requisitae interveniant videlicet tractatus cum rectore, vel defensore, & consensus Capituli Cathedralis. Ita *Gl. hic v. tenes. Francus n. 5. Gl. in c. 1. hoc tit.* Sumitur ex textu hujus cap. quia alienatio hæc revocata fuit non ex defectu posteritatis, sed quia non præcessit tractatus, nec constitutus fuit defensor.

Intellige autem doctrinam, si Episcopus sit auctor alienationis, & Ecclesia, à qua aliquid auferitur, Collegiata non sit, requiri consensum Capituli, si alienatio aut translatio non sit rei modicæ, idque maxime locum habet, si ita proprie dicta alienatio faciendâ sit.

4. Notandum quartò. Ut alienatio rei Ecclesiasticæ subsistat, quam maxime requiritur, ut verè constet tanta necessitatis, vel utilitatis saltem existimatae, & judicatae. Ita *Anchoranus hic not. 3. Francus n. 4.* quòd in ejusmodi solemnitatibus, quibus

partes renunciare non possunt, non sufficiant verba assertiva, videlicet si dicatur in instrumento, alienationem factam esse propter Ecclesie utilitatem, idque aliter non probetur. Nam alioquin facile esset Legis decreta, & requisita subterfugere. Quam ob rem *Gl. in c. sicut 16. v. exprimantur de judicijs*, ait, quòd allegans solemnitatem actus intervenisse, debet id probare.

Ulteriùs declarandum est, Primò cum *Suarez. tom. 4. lib. 2. de religione c. 27. n. 2.* spectato communi jure necessarium non esse, ut de antecedente tractatu, seu cognitâ justitiâ causæ separatim instrumentum edatur; sufficit enim, si in eodem instrumento Prælati, & Capitulum testentur, exponendo causam utilitatis, quia v. g. fundus utilis non erat, vel debita Ecclesiam valde gravabant &c. tunc fides instrumento legitime subscripto, aut obsignato, vel notarij manu confecto, licet contra talem præsumptionem admittatur probatio in contrarium.

Secundò. Si constet, antecessisse tractatum, & subsequutum consensum Capituli, præsumptio esse debet pro justitiâ causæ. Itaque pluribus allegatis *Mascardus con. 75. n. 11.* ubi ait, si constet de solemnitate alienationis rei Ecclesiasticæ, præsumitur fuisse utilem Ecclesie.

Tertio. Quod dicitur de tractatu, & consensu Capituli, intelligi debet de Capitulo congregato, quia capitulares singulares, seu separati Capitulum non faciunt: neque singulorum, quamvis omnium consensus, Capituli consensus est *argum. c. Tertio 5. de probationibus.* & ex communi tradit *Suarez n. 8.*

Quartò. Tametsi in instrumento nuda reperiat narratio alienationis factæ à Prælato cum Capituli consensu ex causa legitima, si tamen alienatio temporis diurnitate videlicet annis 30. non fuerit impugnata, præsumptio esse solet pro justitiâ causæ. Idemque dicendum, si in instrumento nulla fiat mentio adhibita solemnitatis, ex plurimum doctrina docet *Mascardus n. 14. cum*

H. b. cis.



vit. quòd ex temporis vetustate solennitates extrinsecè præsumuntur intervenisse, propterea quòd de solennitate peculiare instrumentum edi potuerit, idque amissum esse; potuit etiam constare omnibus de necessitate, ut tractatu nullo opus esset, consensus autem Capituli postea accessisse; potuit & alienationem publico edito instrumento confirmare. Veruntamen ad has præsumptiones firmandas non sufficit sola temporis diuturnitas, aut vetustas, sed etiam necessaria est scientia, & patientia eorum, qui alienationem, si malè facta fuisset, probabiliter revocassent, prout rectè in hoc ipso casu notavit Felinus *in c. sicut. n. 33. de re iudicata* ubi etiam resolvit, testamentum Cardinalis antiquum, quod fieri non potuit sine licentia Papæ, nullà factà mentione licentiæ, pro valido habendum esse, si in curia testator fuit, ita, ut probabile sit Papam scivisse; secus si extra curiam, ita, ut Pontifex probabiliter ignorarit.

Quæritur. Num is, qui rem Ecclesiasticam justè à Prælato emit, non interveniente consensu Capituli, vel sine Superioris auctoritate, spectato jure naturali, & in conscientia tutus sit, rem retinendo, donec repetatur. Negat Suarez *cit. c. 27. n. 20.* Probatum ex eo, quòd effectus legis non cesset, etsi finis, & ratio legis in casu particulari cesset; tum quia hic deficit potestas alienandi, quippe cum non aliter concessa sit Prælato, nisi adhibitis solennitatibus; tum quia hic deest forma substantialis alienationis, defectus autem formæ nullitatem actus inducit, quippe cum sine forma actus non subsistat.

Sed contrarium probabiliter docet Navar. *de alienatione rerum Ecclesiasticarum n. 17. & de spolijs Clericorum §. 2. n. 6. Sylvest. v. alienatio. n. 12. Sà n. 3. post Innoc. in c. quia de immunitate Ecclesie.* Si substantialia contractus interveniant, videlicet mutuus consensus, & absit fraus, aut læsio Ecclesie, in conscientia tutum esse eum, cui alienatio facta est Nec dissentiunt Doctores apud Mascardum *n. 9.* Si in aliqua disposi-

tione intercedere debeat solennitas, respiciens certum finem, habito eo sine & effectu, propter quem solennitas requiritur, licet revera non intervenerit, valere actum; quod intellige, spectato jure naturali, donec beneficio juris Civilis rescindatur.

Ad hanc sententiam moveor primò. Quia ita facilè explicatur receptissima doctrina *Gl. in c. no Sede vacante &c.* Sc in generalibus terminis tradit Sanchez *lib. 7. de racione c. 31. n. 28.* generale id esse, in contractu celebrato cum Ecclesia, abque debita licentia, aut solennitate, ut favor Ecclesie claudicat contractus, atque contrahenti cum illa non liceat rescire, & Ecclesia, si velit, stare possit contractum. Quemadmodum hoc idem evenit in contractu celebrato cum pupillo, minore, Religioso, prout ibidem Sanchez explicat *n. 31.* ubi ait, contrahenti cum minore abque tutoris auctoritate, vel cum Religioso sine Prælati auctoritate, vel cum Ecclesia sine adhibita solennitate, integrum esse agere, ut minor, Ecclesia, vel Religiosus compellatur, declarare solenniter, tum velint stare contractu, an ab eodem mittere. *L. Julianus 13. §. si quis collatum &c. ff. de actionibus empti.* Cum itaque impossibile sit, ex contractu reciproco aliquem ita obligari, ut alter nullo modo vicissim obligatus sit, quia id est contradictionem contractus reciproci, v.g. emptionis, & venditionis, sequitur etiam Ecclesiam aliquo modo obligari, videlicet naturaliter, sicuti in simili explicavi de pupillo *lib. 1. tra. 4. c. 9. n. 9.*

Ad primum Argumentum prioris sententiæ respondeo, id supponi, quod in controversia est, videlicet contractum sine solennitate institutum per legem ita irritari, ut neque naturaliter, seu in conscientia suo valeat.

Ad secundum. Potestatem non deesse, in Prælato saltem, si Capitulum sciat, & non contradicat, adeoque tacite consentiat, ad alienationem faciendam, ut prout



de aliquo modo valeat, & aliquem effectum producat.  
Ad tertium. Formam eam censer sub-  
stantiali alienationi spectatæ secundum  
juris, & fortæ externi effectus, non item se-  
cundum jus internum conscientiæ.

CAPITULUM II.

in Sexto.

Hoc consultiſſimo.

PARAPHRASIS.

In Concilio generali Lugdunensi sub Gre-  
gorio X. prohibitum est Prælatiſ omnibus,  
ne Ecclesiis sibi commiſſas, bona  
immobilia, aut jura earum, Laicis sub-  
mittant, seu subijciant, absque consen-  
ſu Capituli sui, & Sedis Apostolicæ li-  
centiâ, etiam concedendo ea bona, aut  
jura in emphyteuſin, aut aliâs, quam-  
vis in forma, & casibus à jure permiſſis,  
alienando, ita ut Laici recognoscantur,  
ea tanquam Superiores tenere, vel ut ad-  
vocati; sed neque liceat, eos Patronos,  
& Advocatos Ecclesiarum, aut bonorum  
earundem perpetuò, vel ad tempus lon-  
gum constituere. Porrò omnes contra-  
ctus sine dictæ Sedis licentiâ, & Capituli  
consensu ita celebrati, etiamſi juramenti,  
aut pœnæ, aut alterius firmitatis robore  
muniti sint, & quidquid ex eis secutum  
fuerit, irriti declarantur, aded, ut ne-  
que jus ex ijs, nec præſcribendi facultas  
provenire possit; ipsi autem Prælati ta-  
liter contrahentes ipſo facto ab officio, &  
administratione; & Clerici, si scientes  
contra inhibitionem hujus Canonis præ-  
sumptum esse, Superiori id denunciare  
neglexerint, à perceptione beneficiorum,  
quæ in Ecclesia ea gravata obtinent, per  
triennium suspensi sint. At verò Laici,  
qui Prælatos, vel Capitula Ecclesiarum,  
aliasve personas Ecclesiasticas ad huius-  
modi submissiones faciendas hæctenus  
compulerunt, nisi post competentem mo-  
nitionem, remiſſâ submissione, quam

per vim, aut metum exegerant, Eccle-  
ſias, & bona Ecclesiastica ipſis taliter sub-  
miſſa in libertate ſua dimittant, & ij,  
qui in poſterum Prælatos aut personas Ec-  
clesiasticas ad talia faciendâ compulerint,  
cujuscunque conditionis, ac ſtatûs ſint,  
excommunicationis ſententiâ ſint affecti.  
Sin autem ejuſmodi contractus hæctenus  
celebrati ſint, vel in poſterum celebran-  
di, cum dictæ Sedis licentiâ, & Capituli  
consensu ex ijs vel occasione eorum Laici  
non uſurpent aliquid ultra id, quod na-  
tura ipſius contractûs, & appoſita lex,  
ſeu conventio permittit; qui autem ſe-  
cus egerint, ſi legitime moniti ab ejuſ-  
modi uſurpatione non deſtiterint, reſti-  
tuendo etiam, quæ ita occuparunt, eo  
ipſo excommunicationem incurrant. At-  
que ex eo tempore ad terram ipſorum Ec-  
clesiastico interdicto ſupponendam liberè  
procedatur.

SUMMARIUM.

1. Prohibetur Eccleſiaſticis, ne ſuarum  
Eccleſiarum bona, ſeu jura ſubmit-  
tant Laicis, a quibus cen Dominis, vel  
Advocatis recognoſcant.
2. Actiones, ſeu nomina debitorum, quan-  
do mobilibus, quando immobilibus  
annumerentur.
3. Poſeſt Pontifex alienationes, ſive con-  
tractus circa res Eccleſiaſticas irritos  
reddere.

Notandum primum. Prohibitum eſt  
Prælatiſ, & Rectoribus Eccleſiarum,  
ne Eccleſias, vel bona immobilia, aut jura  
earum ſubmittant Laicis, ita, ut ab ipſis de  
novo tanquam dominis, vel advocatis re-  
cognoſcant.

Pro intellectu advertite. Quòd recogni-  
tio talis ſit ſpecies quædam contractûs, &  
donationis. Prout hæc notavit Anchoran &  
colligitur ex hoc c. ſ. contractûs. Poſeſt  
enim aliquis dominium, aliudve jus reale  
transferre in alterum ſolâ pactione, & non  
interveniente traditione, ſi videl. pacificatur,  
quòd rem præcanò, vel ut conductor, aut  
uſu-



usufructuarius tenere velit *L. quisquis* 28. *Cod. de donationibus*. Ad eò quidem, ut etiam possessio, juris fictione, transferatur, si is, qui donat, vel recognitionem promittit, se alterius nomine possessorem dicit, sicuti explicat *Bartolus in L. quod meo n. 2. ff. de acquirenda possessione. Anchoranus & And. hic*, & docui *lib. 3. tra. 1. c. 7. n. 2.*

Notandum secundum. Non tantum bona immobilia, seu fundi, sed etiam jura, ex quibus census, redditus, seu utilitas annuatim percipi potest, sicuti locari, ita etiam in emphyteusin dari possunt, prout hic monet *Gl. in notandis Anchoran. Francus & alij in principio cap.* nam emphyteusis aliud non est, quam locatio in perpetuum, sive ad tempus longum, ita, ut jus utilitatis translaturum censeatur, prout docet *Molina tra. 2. disp. 445*. Hac ratione locari, vel in emphyteusin dari potest jus molendini, jus vectigalis, aut telonij, jus typographiæ &c.

His duo adde, primum ex eodem *Anchorano*, recognitionem, ac donationem immobilium, & jarium tantum prohiberi; at verò de mobilium donatione certa regula tradi non potest, sed attendere oportet ad quantitatem doni, sive magnum, an parvum, & ad qualitatem donatarij, sive bene meritis, nec ne; denique ad qualitatem Ecclesiæ, ex cujus bonis donatur, sive dives, an indigens, sicuti docetur *in c. 3. de donationibus*.

Alterum ex *Gl. hic V. jura*. quòd jura & redditus annui, si rei immobili adhæreant, sive ex re immobili proveniant, inter bona immobilia numerantur. *auth. de non alienandis. §. nosigitur*. Ad eò quidem, ut super annuis v.g. pensionibus spoliato detur interdictum unde *vi juxta c. querelam 24. de electione*, & *dixi in disp. de restitutione spoliatorum assertione 21.*

Sed quid dicendum de actionibus, seu nominibus debitorum, num inter bona immobilia, an verò mobilia numerentur? Respondetur cum *Bartolo in L. moven-*

*tium. ff. de verborum significatione. Anchoran. hic col. 2. Franco n. 4. Abb. in c. nullus n. 9. extra. hoc tit.* quòd propriè ac per se in neutra bonorum specie comprehenduntur nomina, sed tertiam bonorum speciem constituunt, sicuti apertè habetur in *L. si Dico 15. §. in venditione Julia G. v. ad jura ff. de re judicata*. Quare si testator omnia mobilia bona legarit, item si bona sua immobilia reliquerit, neutri appellacione nomina debitorum, seu debitorum mutuo, vendito &c. comprehenduntur, nisi verba testamenti propriè accipiendâ sunt, qui heredi *ff. de conditionibus & demonst. actionibus*. Nomina autem sive debita, & obligationes, nec mobilia, nec immobilia propriè sunt. Caterum si talis bonorum distributio fiat, ut necessarium sit sub altera specie, debita, sive nomina comprehendendi, tunc accessoriè pertinent ad eas res, quarum debita sunt, ita ut actiones, quæ sunt ad res immobiles, inter bona immobilia, at verò actiones, quæ sunt ad pecunias, & alias res mobiles, inter mobilia numerentur, secundum *Gl. receptam in cit. auth. de non alienandis rebus Ecclesiasticis. §. 1. Bartolum in L. potest. ff. de auctoritate tutorum, & alios cit.* Exemplum habes, Si testator de omnibus suis bonis testari volens, immobilium tantum, & mobilium bonorum faciat mentionem, tunc nomina, & actiones venient accessoriè; & similiter cum in jure Canonico alienatio immobilium reum prohibita sit, mobilium autem, nisi sint pretiosæ, quæ & servari possunt, concessa in hac generali rerum distributione, nomina bonorum etiam jura actionum, seu nomina, & instrumenta debitorum pecuniariorum comprehenduntur, ut & hæc alienari possunt à Prælato, prout hic monet *Anchoranus & docui lib. 3. tra. 4. de justitia c. 10.*

Notandum tertium. Prælati Ecclesiasticus, & Capitula non debent sibi Patronos, sive Advocatos de novo constituere in perpetuum aut ad tempus longum, sed ita tantum, si necessitas postulare videatur, ut advocati jus revocari possit. Ratio est, quia

Domini



Domini seculares sub titulo, ac jure advocatiae sibi competentis Ecclesias saepe gravant; ac varias jurisdictiones sibi arrogant.

Notandum quartò. Pontifex potest alienationem, sive contractum circa rem Ecclesiasticam ita prohibere, ut omni jure irritus sit, nullusque omninò ex eo effectus sequatur, dummodo id sufficienter exprimat, alioquin verò si contractus suapte naturam subsistat, infirmitas Legis, aut Cano-

nis censetur tantum referri ad civilem, seu externi fori rescissionem; juxta ea, quae dixi in c. *pracedente*, & lib. 1. tra. 4. c. 16. n. 6. & 9.

Notandum quintò. Id, quod natura cujusque contractus postulat, impleri debet, nisi specialia pacta, sive conditiones appositae sint, & enim, nisi sint contrariae, observandae sunt, quia contractus ex conventionione Legem accipiunt *regulà 23. ff. & regulà 85. in 6.* & notavit *Gl. hic v. lege.*

## TITULUS XIV.

## DE PRECARIIS.

**P**ostquam de alienationibus, & contractibus generatim dictum fuit, conseqens est, ut de contractibus plerisque in specie dicatur.

## CAPITULUM I.

## Precariarum.

## PARAPHRASIS.

De quinquennio in quinquennium Precariae secundum Canonem, & antiquam consuetudinem renovari debent.

## SUMMARIUM.

1. Quid sint Precariae, & in quo differant ab Emphyteusi?
2. Multum circa hunc, & alios contractus potest consuetudo.

**P**ro intellectu adverte, Precarium contractum dici, quo res immobilis alicui conceditur in perpetuum ad vitam ejus, vel ad tempus longum, ita ut sit beneficij cujusdam loco; nam in hoc fere solum videtur iste contractus differre ab emphyteutico, quod Precariae ferme gratis fiunt, & ad preces alicujus, unde etiam nomen acceperunt, quamvis nihil obstat etiam in ijs pensionem aliquam constitui, ut si rusticus petat ab Ec-

clesia fundum sibi concedi, in quo molendinum constituar, promittens annuatim certam pensionem.

Id quoque peculiare est, quod contractus iste, maxime si pensio, & recognitio annua solvi non soleat, per quinquennium in quinquennium renovari debeat, ne videl. ob temporis longinquitatem concessionis memoria pereat, & res ab Ecclesia alienata videatur c. *longinquitate 64. causa 12. q. 2.* ubi dicitur: longinquitate saepe fit temporis, ut non pateat conditio originis. Quare sicuti emphyteuta cadit à jure suo, si investituram tempore legitimo non petat, ita & precarium habens, nisi renovationem tempore constituto petat *argum. cit. c.* & tradunt hic *Hostien. Joann. And. Abb. & alij contra Gl. finalem.* In his tamen attendendum est ad consuetudinem loci cujusque, secundum quam contractus quilibet in dubio intelligi, & observari debet *argum. L. quod finolit 31. §. quia assidua ff. de adilitio editto*, & tradit *Bartolus in L. nemo est n. 5. ff. de duobus reis*, & exempla dat *Eberhardus in locis lo. 104. n. 8.* quod electo ad officium in dubio censetur constitutum salarium consuetum consideratà conditione, & consuetudine tum officialis, tum Domini, secundum *Bartolum in L. 1. §. illud quo-*

Hh 3

que